Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

uelle cognoscere. et pars est obsequii, didicisse
quid faciat. Scito itaque in scripturis diuinis
per quas solas potes plenam dei intelligere uo-
luntatem. prohiberi quedam. precipi quedam. conce-
di quedam. nonnulla suaderi. Prohibentur mala.
precipiuntur bona. conceduntur media. perfecta
suadentur. In duobus illis que priori loco sunt:
peccatum omne concluditur! In utroque enim
dei continetur imperium. et non solum precipere. sed
et prohibere ipsum iubentis est. Generaliter
namque omnibus mandatur iusticia, quam saluator
in euangelio breuiter quidem sed plenissime compre-
hendens, ait. Quecumque uultis ut uobis faci-
ant homines bona. hec et uos facite illis.
hoc est, ut nichil mali faciamus aliis et prestemus
omne quod bonum est. quia uolumus hoc ab aliis
in nos utrumque seruari. Hec sententia equo
iure precepta uniuersos tenet. neque ulli omnino
transgredi licet. quod omnibus imperatum est. aptiusque
dei contemptus est. ut facere prohibita. ut iussa non
facere. Duo uero reliqua que secuntur. quorum unum
conceditur suadetur aliud, in nostra potestate di-
missa sunt. ut aut cum minori gloria conces-
sis utamur. aut ob maius premium etiam ea que
nobis permissa sunt respuamus. Conceduntur
quidem nuptie. carnium usus et uini. sed horum
omnium abstinentie consilio perfectio suadetur.
Ad uirginitatis honorem pertinet licentia
nuptiarum. et escarum indulgentia uirtutem
abstinentie clariorem facit. Contempsisti
uirgo coniugium licitum tibi prius quam con-
temneretur. maiori premii amore flagrans
uouisti deo non imperatam sed laudatam uirgini-
tatem. et consilio apostoli legem fecisti latiorem.
Certaminis ingressa campum. non tam labo-
ris cursus. quam uictorie brauium cogitasti.

Legeras credo illud euangelicum de perpetua uirgi-
nitate preconium. et ipsius te domini sermo ad amo-
rem seruande uirginitatis accenderat. qui
petri super hoc sententiam ipsa rei magnitu-
dine ac difficultate laudauit. et uoluntarius
spadonibus regna celorum permittens ait. Qui
potest capere capiat. Rem itaque tam mag-
nam non impono non impono sed offero. neque
quemquam ad hoc cogo sed prouoco. quamquam de
uiris tantum sonare uideatur. non solis uiris
dicitur sed equalis utrique sexui uirginitatis pal-
ma permittitur. Et apostolus de uirginibus preceptum
quidem domini non habere se dicit. sed consilium
dat. Dicit itaque. An experimentum queritis
eius qui in me loquitur christus. Perfectionis igitur
secuta consilium. beatitudinem specialis
aggressa propositi, serua generale mandatum.
Dixi. idemque nunc repeto. in causa iusticie
unum debemus omnes. uirgo. uidua. nupta.
summus. medius. extimus gradus. equaliter iubentur
implere precepta. nec a lege soluitur. qui super
legem facere proponit. Quin immo nullus ma-
gis illicita uitare debet. quam qui respuit que
licebant. nec quisquam ita se mandata pollicetur
implenda. ut ille qui amore perfectionis super
mandata conscendit. et dum amplius statuit
facere quam preceptum est. ostendit minus sibi
preceptum quam potuerit. Deinde qui tante
se obedientie prestitatur: ut et diuinum consili-
um libenter audiat. quam debet audire preceptum.
Illa enim res perfectionis est. ista necessitatis.
De uirginitate dicitur. Qui potest capere capiat.
de iusticia non dicitur. qui potest facere faciat.
sed omnis arbor que non facit fructum bonum
excidetur. et in ignem mittetur. Considera queso.
quantum a consilio distat imperium. Ibi aliquis